

Secundo videlicet quod per talem generalem narrationem intencionis sue non fuit ipsas denunciare excommunicatas sententia per eum prolata vel canonis — sic quod deberent a divinis excludi et tamquam excommunicate evitari, sicut factum fuit a parrochialibus sacerdotibus — nisi nominatim excommunicarentur in specie. Sed hoc tantum intendebat, quod ille Begine, que scirent se culpabiles in excessibus expressis in processu, scire deberent se ex eo fore excommunicatas et ideo ecclesias non debere intrare, quousque penitentiam agerent et absolucionem reciperent. Quia ex quo adhuc per inquisitionem sibi note non erant, publice excommunicare vel denunciare non intendebat neque vitari, neque etiam intencionis sue fuit, quod publice inculpabiles cum culpabilibus vitarentur, nisi culpabiles in specie postmodum per inquisitionem invente denunciarentur.

Tercio videlicet quod per talem narrationem mulieres habentes ordinem vel regulam a sede apostolica approbatam — sicut^{b)} sunt incluse de ordine beati Augustini et de tercio ordine beati Francisci et similes — comprehendere non intendebat, et quod processus huiusmodi se ad tales non extendebat, licet contrarium per parrochiales sacerdotes aliquos prouaretur^{c)} et publicaretur.

Quarto quod id, quod generaliter fuit narratum in dicto processu, videlicet quod quedam de dictis mulieribus sine speciali²³⁶⁾ *licencia parrochialium sacerdotum a religiosis reciperent eucharistie sacramentum*, non fuit assertive processui inscriptum per ipsum — sic videlicet, quod sciret verum esse —, sed comminative, videlicet in casu, quo facerent, quod peccarent et inciderent penas canonum tam dantes quam recipientes. Item quod nec tunc scivit nec adhuc scit nec invenit aliquos religiosos, qui sine licencia ipsis ministrassent huiusmodi^{d)} sacramentum, et ideo religiosi ipsi non fuerunt nec sunt ex hoc aliqua sententia innodati canonis, prout quidam processum intelligere voluerunt.

b) *Glosse*: Inclusive de ordine sancti Augustini et de 3^o ordine sancti Francisci dicuntur approbate *W* (= *Heinrich von Sachsen*) c) *so W für* probaretur d) *h^o* (= huius) *W. Statt* huiusmodi *könnte auch* hoc emendiert werden

²³⁶⁾ Vgl. oben S. 174 Z. 7 ff.

²³⁷⁾ Damit dürfte das den deutschen Terziaren gewährte Privileg *Devotionis vestre precibus* von Bonifaz VIII., 1296 Juli 28, gemeint sein, das exakt die im Text genannten Bestimmungen enthält; ed. Sbaralea, Bull. Franc. 4, 408 Nr. 87, maßgebend jetzt: G. G. Meersseman, Dossier de l'Ordre de la Pénitence au XIII^e siècle (Spicilegium Friburgense 7, 1961) S. 81 Nr. 56.